



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XVII. Argumentum. Ostenditur quid sit blasphemia? Quàm grave peccatum? Quot modis committatur? Casus duo de hoc crimine. Suasio ad Ecclesiasticos pro quotidiana oratione mentali per ipsos ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

VI. Si addant, adeo verum esse, Decimas debere, & solvi ALTISSIMO, ut de Jure Canonum, neque liceat eas retinere in compensationem crediti, quod quis haberet cum beneficiato. *Barbos. de Jure Ecclesiastico Univ. lib. 3. cap. 26. §. 1. num. 41. Moneta de Decimis. cap. 7. q. 2. num. 41. & cap. 8. num. 6.*

VII. Si supradicta omnia curaverint Parochi, & Regularibus Prædicatoribus in concionibus serio enunciar.

VIII. Si ipsi beneficiati avaritiæ macula non sint affecti, sed eos populi viderint pios in pauperes, & liberales in suas Ecclesias, tunc enim & laici propensiores fient in solvendis Decimis, nam scriptum est, *Dare, & dabitur vobis. Luc. 6. 18.*

IX. Si ipsimet beneficiati diligentes fuerint in conficiendis catasticis, & inventariis, cum expressis confiniis agrorum, è quibus Decimæ solvantur.

X. Si demum, modestè, sed doctè, confutare didicerint falsam illam assertionem, idè Deum reservasse Decimas, & Primitias Sacerdotibus, & Clericis ¹³ Veteris Testamenti, quia nullum prædium possidebant, ac propterea in nova lege, cum tot agri sint concessi Rectoribus Ecclesiarum, Jus decimandi cessare debere. Falsa enim est dicta assertio, & continet errorem Joann. VVicleff, Lutheri, & Spalatenfis ejus affectu; nam Deus ultra Decimas, & Primitias reservatas Levitis ministris suis, voluit eos habere, & possidere ¹⁴ Civitates, cum suburbanis, & agris suis, ut scriptum est *Num. 35. 2.* Et sic tantum abest, ut Levitæ nil possederint, ut imò eorum portio major fuerit quacumque portione aliarum Tribuum, ut comprobant *Bellarmin. in controvers. fid. lib. 1. de Cleric. cap. 8. propof. 5. Baron. tom. 1. annal. anno 57. fol. 451. Serarius in Josue cap. 21. quæst. 3. & 4. Diana part. 5. tract. 1. resol. 3. Quæ in Coordinato est tom. 9. tract. 3. resol. 2.* Et novissimè *Sperell. decis. 182. à num. 2. & seqq. ubi num. 6. & 7. probat, Levitas possedisse in particulari agros, & campos, & prosequitur demonstrando rationibus, Juribus, ac auctoritatibus SS. Patrum, ac Doctorum, Deum voluisse Ecclesiasticos divites esse ad sui gloriam, & Ecclesiæ decorem. De divitiis, & proventibus Levitarum in lege Mosayca legantur meæ Decisiones de Sacrificio Missæ *Decis. 23. à num. 44. atque Decis. 24. num. 19. 20. & 21.**

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quid sit blasphemia? Quam grave peccatum? Quot modis committatur? Casus duo de hoc crimine. Suasio ad Ecclesiasticos pro quotidiana Oratione mentali per ipsos faciendâ.

SUMMARIUM.

1. Blasphemia definitio.
2. Maledictoria in quo differat à blasphemia?
3. Blasphemia peccatum maximum. Rationes plures de hoc.
4. Blasphemia tribus modis committitur. Quinam sint?
5. Blasphemia an sit dicere. Sia maledetto quel becco, che mi tiene al mondo?
6. Maledicere Deiparam, & Apostolos quale peccatum sit?
7. Blasphemia in Deum, in Deiparam, in Sanctos, in quo differunt?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

8. Circumstantia peccati aggravantes quando sint exprimenda in Confessione?

9. Oratione mentalis quot de causis faciendâ quotidie ab Ecclesiasticis?

10. Vincentii Carassæ Præpositi generalis Soc. Jesu notabile dictum.

Ad infra scripta Quasita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD Primum. Quid sit Blasphemia? Quamplures, & omnesque præstantes definitiones allatae fuere; inter quas illa, quod sit Contumelia, verbo, in Deum prolata, desumpta ex *Riccioli. De Personis, quæ in statu Reprobo versant. lib. 1. cap. 1. num. 3.* Eam verò sic explicant. Dicitur Contumelia, loco generis, quia hoc verbum comprehendit quamcunque injuriam, in quemquam prolatam. *lib. 1. ff. de injur.* Item, quia ut verbum includat blasphemiam, debet esse contumeliosum; idè Notarii, & testes, qui materialiter proferunt, vel scribunt verba blasphemiarum, non blasphemant. *Riccioli. dict. capit. 1. num. 3.* additur Verbo; Quia hoc vitium proprium est linguæ. *Job. 5. Imitaris linguam blasphemantium;* & ut distinguatur à factis contumeliosis, quæ propriè non dicuntur blasphemia. At sub ly Verbo comprehenditur non solum, quod pronuntiatur voce, sed etiam scriptura; cum qua proferuntur blasphemiarum. *2. Paral. 23.* Epistolæ quoque scripsit plenas blasphemias in Dominum Deum Israel. Dicitur in Deum immediate, vel mediatè in Sanctos ejus; & ad differentiam Maledictoria, quæ propriè fertur in homines. Dicitur. Prolata sive ore; sive etiam corde.

Ad Secundum. Quanta sit gravitas hujus peccati? Omnes concorditer dixerunt, Blasphemiarum peccatum esse omnium maximum, & gravissimum, ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 15. art. 3. & tradunt Farinac. in Praxi lib. 1. qu. 20. & Chartar. dec. 2. num. 1. & seqq. Id probantur. 1. Ex Levit. 24. Ubi juvenis, qui blasphemaverat, jussu Dei fuit lapidatus; quem non juvit, neque ætas, neque iracundia, neque quod esset in Castris, neque Summum Tribunal Moyse, circumstantiæ omnes, quæ in delictis faciunt minuere penam; quibus non obstantibus damnatus fuit morte à Deo; ut ostenderet gravissimum esse hoc scelus. 2. Quia blasphemans dicitur pejerare, nam contrafacit promissioni de diligendo Deo in baptismo firmata. *Decian. in tract. Crim. lib. 6. cap. 1. num. 4. 3. Quia blasphemus deterior est Idololatra, dum non solum non desert honorem vero Deo, sed petulanter contumeliam infert. Decian. ubi supra num. 7. 4. Nam in cæteris delictis est aliqua voluptas, nulla autem in blasphemia. Abb. in cap. ex parte 1. de Verb. Signif. 5. Qui blasphemus sunt pejores canibus, à quibus eorum Domini non petuntur morsibus, ut ipsi faciunt in Deum Dominum suum. Riccioli. dict. lib. 1. cap. 3. num. 14. & 15. ubi ait, Sanctos adeo horruisse solum nomen blasphemiarum, ut ejus vice proferrent Vocabulum benedictionis, ut *Job. 1. Qui sacrificium quotidie offerebat pro filiis, Nè forte peccaverint, & benedixerint Deo in cordibus suis, id est, ne blasphemaverint. & 3. Reg. 21. Calumniosus testes dixerunt, Benedixit Naboth Deo, & Regi; id est blasphemavit. Hinc S. Joan. Chrysost. in Matth. Homil. 76. appellat blasphemiam carmen damnatorum, adeo ut blasphemanti dici possit: Verè tu damnatus es, numer. & loquela tua manifestum te facit, & propter blasphemias venire Pestem, Fa-***

D

mem,

mem, Terræmotus, & alias plagas Divinæ Justitiæ testatur Imper. in Auth. Ut non luxurietur. S. Praterea. Utinam hæc prædicarentur à Parochis.

Ad Tertium. Quot modis committatur blasphemia? Varii varia scripserunt; sed doctissimi censuerunt, tribus modis blasphemiam committi, 1. Per modum simplicis maledictionis. 2. Per modum convicii. 3. Per modum irrisionis. Host. in cap. 2. de Maledic. Boer. dec. 301. Unicus. dec. 275. num. 4. & 7. & decif. 388. num. 2. Per modum simplicis maledictionis concipitur blasphemia, quoties maledicitur, vel execratur nomen Dei, aut alicujus Sancti, sive imperando malum, vel optando carentiam alicujus boni. S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 6. & 7. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 32. num. 7. & 14. Per modum convicii dupliciter blasphematur: Primò, quoties tribuitur Deo quod illi non competit, aut remouetur ab eo quod illi competit. Secundò, quoties tribuitur creaturæ, quod competit soli Deo. Ricciul. ubi supra lib. 1. cap. 5. num. 1. Per modum irrisionis Verba sunt blasphemia, quoties dicitur Deo, vel Sanctis aliquod verbum, quod tendit ad injuriam, vel irreverentiam. Vivius dec. decif. 586. Valent. tom. 3. disp. 1. qu. 1. Toler. lib. 4. cap. 13. num. 6. Farinac. in Praxi quæst. 20. num. 16. Novissimè F. Cassianus à S. Elia Carmelita Discalc. qui in suo Examine Centum Historiar. decif. 63. num. 29. notat, hoc Verbum *Al cospetto &c.* esse Verbum scandalosum, sed *Al cospetto azzo*, vel *Al cospettone &c.* esse blasphemiam, ob injuriam, & irreverentiam, quæ sit præsentis Dei. Plura de his modis blasphemandi continent mea Erotemata Ecclesiastica cap. 34. scitu necessaria Parochis, ac Confessariis omnibus.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Penitens confitetur, se solitum dicere. Sia maledetto quel becco, che mi tiene al mondo: Quæritur, an peccaverit peccato blasphemia?

Alii affirmarunt, quando Penitens sic dicendo voluisset, Deum Conservatorem omnium intelligere. Alii negarunt, supposita materialitate tantum Verborum, & exclusa intentione, seu relatione ad Deum. Ratio eorum fuit; Primò, quia illa Verba possunt competere etiam hominibus, à quibus pro sustentatione vitæ alimenta sumuntur. 1. Necare ff. de liber. agnoscent. Secundò, quia in generali sermone non præsumitur, quod quis voluerit comprehendere ea, quorum prolatio sit ei pœnalis. Barrol. in l. codicillis. S. instituta ff. de leg. 2. Ricciul. lib. 1. cap. 4. num. 22. 23. & 24. & Veggius Consil. 48. per totum.

AD SECUNDUM CASUM.

Cujus se accusat in Confessione pluries maledixisse Deiparæ, & Sanctis Apostolis. Quæritur, Cujusnam species sit ejus peccatum?

Censuerunt esse ejusdem speciei, cujus est blasphemia in Deum. Hujus responsi duas attulerunt rationes. Primam, quia licet una blasphemia sit gravior alia, ratione majoris, aut minoris contumeliæ, seu convicii. San. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 3. nihilominus omnes consistunt in contumelia, & habent malitiam contra Religionem. Suarez. d. tom. 1. lib. 1. cap. 5. à num. 1. usque ad 7. & cap. 6. num. 18. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. qu. 10. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 32. n. 38. Alteram, quia Sancti ex vi sui status habent

quasi intrinsecam habitudinem in Deum, atque ideo, si afficiantur contumelia, illa quidem transit in Deum, etiam si hoc formaliter non intendatur; quod experimur in servis, quibus irrogata injuria dicitur pertinere ad eorum Dominos. 1. 1. S. item ff. de Injuriis. Et in Ministris Principum, qui vindicant eorum injurias, tanquam suæ Majestati factas. 1. Quisquis. C. ad leg. Jul. Majest. Quamplurimi tamen ex sapientioribus, & Doctoratus Laurea insignitis Parochi duas fecerunt observationes super præmissis. Una fuit, quod licet blasphemix non differant speciei, etsi prolata vel in Deum, vel in Deiparam, vel in Sanctos; nihilominus differunt quod ad pœnam, nam diversa pœna plectuntur; ut tradit Farinac. de Delict. & pœn. quæst. 20. num. 27. Secunda fuit, quod in Confessione exprimendum est, an blasphemia fuerit in Deum, vel in Deiparam, vel in Sanctos, quia licet non differat speciei, habet notabilem gravitatem: quæ debet exprimi, ut notat Sanchez d. cap. 32. num. 39. Vers. At verentia opinione verissima. Quod vellem, adnotarent capellani, qui dum accedunt ad examen pro Confessionibus audiendis, ore rotundo respondent, circumstantias peccati mutantes speciem esse quidem exprimendas, non autem aggravantes; nam contrarium docent DD. in sequentibus casibus. 1. In Blasphemia, ut supra dictum est. 2. In gradu consanguinitatis, commissio incestu. 3. In quantitate furti. 4. In diuturnitate odii. 5. In peccato inter Confessarium, & penitentem. 6. Si peccato sit annexa censura, vel reservatio, vel sic expedire judicet Confessarius ob bonam directionem Penitentis; nam in his omnibus casibus etiam circumstantiæ aggravantes, etsi non mutant speciem, sunt in Confessione exprimendæ. Busemb. lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 3. art. 1. num. 3. Quæ obiter dicta sint pro supradictis Capellanis, & Tyronibus, quos valde juvabit legere Decisiones meas de Penitentia, & observare dicta in decision. 45. circa Circumstantias aggravantes.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Ex quibus suadendi sint Ecclesiastici, ut quotidiè, puro corde, & voluntate bona vacent Orationi Mentali?

Ingentes relatæ sunt laudes orationis; & plurima allata argumenta, ad alliciendos Ecclesiasticos, ut mentaliter orent. Cæterum, ut multa paucis perstringam, possunt persuaderi ob sex respectus. 1. Respectu Dei. 2. Respectu Sui. 3. Respectu Beatorum. 4. Respectu Viatorum. 5. Respectu Necessitatis. 6. Respectu Utilitatis.

1. Respectu Dei. Nam meditatio necessaria est ad habendam cognitionem Dei, & Divinorum Attributorum; ejus videlicet Omnipotentis, Sapientis, Misericordis, Justitiae, Providentis, & aliorum. Ideò Regius Psalter, Prævenierunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Psal. 118.

2. Respectu Sui: Quia sine meditatione non cognoscet Ecclesiasticus suam fragilitatem, suas inclinationes, defectus, obligationes, occasiones fugiendas, virtutes prosequendas, peccata commissa flere, committenda cavere; remedia discere, & ea adhibere, & præcipue ponderare vanitatem hujus vitæ præsentis, & æternitatem futuræ. Ideò David, Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Psal. 56. 4.

3. Re-

3. Respectu Beatorum; quia omnes Sancti studiosissimi fuerunt orationis, & eam maximopere commendarunt. Hinc S. Aug. Sermon. 220. Recte novit vivere, qui recte novit orare. S. Bonavent. De progressu Religio. cap. 7. Sine isto studio (Orationis Mentalis) omnis Religio est arida; imperfecta, & ad ruinam promptior. S. Nilus Abbas vocat eam Speculum Ecclesiasticorum, in quo mirari se debent. Et Angelicus Doctor aiebat, Ecclesiasticum sine oratione esse militem sine armis. Rodriguez par. 1. tract. 5. cap. 2.

4. Respectu viatorum; nam Ecclesiasticorum munus est docere populum legem Dei; Sed quomodo docebunt, qui non orabunt? P. Vincentius Caraffa Prapostus Generalis Societatis Jesu dicebat, ad convertendum populum opus esse non bono Rhetore, sed bono Oratore. P. Bartol. in ejus Vita, lib. 2. cap. 13. innuens Ecclesiasticum vacantem Orationi. Et apertum est Divinum oraculum Eccles. 39. Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione; & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentia replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientia sua.

5. Respectu Necessitatis. Quoniam Theologorum placitum est, Deum ab aeterno decrevisse conferre nobis sua dona, si tamen per nos in oratione petantur, ideo deficiente oratione, donis illis privamur, quod tractat. S. Th. 2. 2. quæst. 83. art. 2.

6. Respectu Utilitatis; quia teste S. August. Oratio justi clavis est celi: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Et mentiri Dominus non potest, qui dixit: Amen dico vobis, quicquid orantes petieritis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Marc. 11. 24. & nil gratius Angelis, quam orantibus addere juxta illud: Prævenierunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvenularum Tympanistrarum. Ps. 67. Ex quibus, & aliis longè plurimis concluderunt, necessariam Ecclesiasticis meditationem ad Divinum Amorem acquirendum, siquidem: In meditatione mea exardescet ignis. Ps. 38. 3. legant studiosi il Parocho instructo cap. 25. Ven. Patris Pauli Segneri Soc. Jesu, ut magis cognoscant utilitatem Orationis Mentalis.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM

Sequitur explicatio peccati blasphemiz. De ea casus, & Doctrinæ pro Confessariis. Impugnatur Choreæ, ac saltationes.

SUMMARIUM

1. Blasphemia an sit jurare per corpus, aut sanguinem Dei?
2. Jurare per membra Christi an sit blasphemia?
3. Blasphemia una an differat specie ab altera?
4. Blasphemus quomodo sit interrogandus à Confessario?
5. Odium, & blasphemia in Deum sunt duo peccata.
6. Choreæ, ac saltationes publicæ quibus argumentis eliminanda?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

1. AD PRIMUM. An sit blasphemia jurare per Corpus Dei, per Sanguinem Dei? Inspecito Verborum rigore esse blasphemiam, juxta tex. in cap. Si quis 22. q. 1. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 6. n. 11. Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Menoch. casu 375. num. 12. Farinac. in Praxi quæst. 20. num. 18. & 19. Ratio est, quia Sacrosanctæ Deitati attribuitur quod non convenit, id est corpus & sanguis. At si hæc verba proferantur ex animi levitate, vel ignorantia, proferentem excusant à blasphemia. Suarez ubi supra, & Valentia 2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1.

AD SECUNDUM. An sit blasphemia jurare per membra Christi? Distinuerunt, vel jurant per Membra Christi, quæ in aliis reputantur verecunda, & inhonesta? & in hoc casu censenda est blasphemia saltem ratione irrisionis. Vel per Membra honesta juratur, & nulla est blasphemia. Ita S. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 4. in princip. Tolet. lib. 4. cap. 13. Sanchez in Deca lib. 2. cap. 32. num. 39. Farinac. d. q. 20. num. 20. & seqq.

AD TERTIUM. An una blasphemia differat specie ab altera? Dixerunt non differre ex rationibus Decis. præterita consideratis, quod notat etiam Layman, lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 10. Et licet diversa sit adoratio Deiparæ, & Sanctorum, nempe Latriæ, Dulix, Hyperdulix; & sic videatur blasphemia mutare speciem, sicut differt species adorationis, quam illa percutit, & offendit, nihilominus, cum in Religionem communiter contumeliam, & malitiam habeant, sunt ejusdem speciei, nisi essent hæreticales, vel procederent ex odio Dei, nam ob offensionem fidei, & charitatis Dei, differunt specie. Summa Diana Verb. blasphemia num. 3. ubi utramque opinionem probabilem dicit. Et ipse Diana p. 1. tr. 7. ref. 50. & p. 5. tr. 13. resol. 21. Quæ in Coordinato sunt tom. 1. tr. 7. resol. 31.

AD PRIMUM CASUM;

Tertius in confessione se accusat, protulisse plures blasphemias. Quæritur, an Confessarius debeat eum interrogare, utrum contra Deiparam, vel contra Sanctos eas protulerit? Omnes concluderunt, Confessarium interrogare debere, ob rationem adductam ad Secundum Casum præteritæ Decis. xvii. videlicet, quia licet blasphemiz hujus penitentis secundum aliquos DD. non differant specie, negari tamen non potest, quin gravior, & deformior sit blasphemia in Deum directè prolata, quam alia; prout gravius est blasphemare Deiparam, quam alios Sanctos; ideoque ratione gravitatis, & enormitatis talis circumstantia est exprimenda, ad tradita per Grass. de casib. reserv. cap. 10. num. 9. Cajetan. 2. 2. q. 13. art. 1. Videantur præterea Decisiones de Penitentia Decis. 27. num. 3. ubi gravissimi Auctores allegantur, docentes prædictas blasphemias differre specie.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam ex nimio odio in Deum blasphemavit, & maledixit ejus nomen Divinum. Quæritur, an satis sit, si se accuset, hoc unico Verbo Blasphemavi Nomen Domini? Concordi responsione dictum fuit. Non esse satis, sed explicare Penitentem debere, quod maledixit ex nimio odio in Deum. Ratio est manifesta, quia duplex est malitia in hoc casu, una contra Religionem, blasphemando, seu maledicendo Divinum Nomen; alia ex odio, quod est contra Præceptum dilectionis Dei. Quocirca, cum habeamus in hoc casu, non solum circumstantiam aggravantem, sed etiam mutantem speciem, utraque est manifestanda in confessione, ut docent omnes DD. inter quos Layman, lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 12. Ricciol. d. 2. lib. 1.